



**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

21. In octaua Paschæ, de apparit. Thomæ cum aliis facta. Ioan. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

46 MEDITATIONES IN

& nobis, in sacramento Eucharistiæ, in quo iis quotidie verè & realiter fruimur.

IN OCTAVA PASCHÆ.

Quasi
modo.

De apparitione disci. facta presen-
te Thoma. Ipan. 20.

1. **S**TANS IESVS in medio discip. dixit Pa-
vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto
vos. Accipite Spiritum sanctum, Quorum re-
miseritis peccata, remittuntur eis. Confide-
ra, sicut Christus non est missus in mūdum,
ad regnandum, sed ad patiendum, sic te,
siue sæcularis, siue religiosus sis, missum ad
multa patienda pro Christo, & ad magnos
labores. 2. considera Dei bonitatem, quod
quoad peccata non velit aliud iudicium
institui in cælo, quam illud ipsum quod
hic à sacerdotibus Apostolorum successo-
ribus instituitur in terra. Si ergo vis effuge-
re seuerum iudicium Dei futurum, ne re-
formides iudicium hominis peccatoris &
infirmi, qui compati tibi potest.

2. Post dies octo & Thoma dixit. Infer digi-
tum tuum huc, & vide, &c. & noli esse incre-
dulus sed fidelis. & respondit Thomas. Domi-
nus meus, & Deus meus. Considera incre-
dibilem caritatem Christi, eundem labo-
rem pro solius conuersione Thomæ iam
impen-

impudentis, quem ante pro omnibus Apostolis, ut certi essent de resurrectione, impenderat, ostendens se bonum pastorem esse, qui relictis 99. quæsiuit vnã ouem in montibus errantem. Vnius animæ conuersio despicienda non est, cum Christus pro vna paratus fuerit mori 2. attende & sapientiam, quod Thomæ non soli, ut fecerat Petro, & Magdalenæ, sed coram Apostolis apparuerit; id enim fecit, ut & Apostoli plus firmarentur in fide, & in amorem Christi magis accenderentur. 3. cogitata humilitatem stupendam Christi, quod voluit manus in latus suum mitti. O quomodo arsit cor Thomæ cum mitteret eas in tam ardentem fornacem, & ideo in genua mox lapsus eum adorauit, clamans *Deus meus.* 3.

Dixit Iesus Thomæ, (Quia vidisti me, credidisti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt)
 Considera, quando solatio nobis esse debeat hæc sententia, quod non minus beati sumus nos, qui non vidimus in carne Christum, si in eum credamus, quã Apostoli, qui eum in carne viderunt, & tetigerunt: & ratio est, quia ut nos credamus, maior est difficultas, ac proinde & meritum, minor autem fuit Apostolis. Vñ illud Gregorij. *Fides nõ habet meritum, sibi humana ratio præbet experimētum.*

*Homil.
26.
in Euan-
g.*

DO-